


Georg Christoph Detharding

Memoriam Senis Venerabilis, Et Viri ... Dn. Caspari Mantzelii, Pastoris Ecclesiae Jordensdorffensis ... Cui Summo In Luctu Versantes Filii, In Utraque Hac Republica Muneribus Publicis Ornati D. XIV. Octobr. A. MDCCXXXV. Ultimum, Sed Admodum Flebile Funeris Obsequium Præstabunt, Civibus Academicis ... Commendat

Rostochii: Typis Joh. Jacobi Adleri, [1735]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1796371092>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,
meist Festsätze in dazujen bürgerl. Familien btes.

(Zinsin u. d. in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
i. O.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





Handwritten numbers in a column on the right edge of the page, including 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30.


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mathews. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



MEMORIAM
SENIS VENERABILIS,
ET
VIRI DE ECCLESIA ORTHODOXA
QVONDAM OPTIME MERITI,
DN. CASPARI
MANTZELII,

PASTORIS ECCLESIAE JORDENSdorFFEN-
SIS PER XXXVII. ANNOS VIGILANTISSIMI, ET SYNODI
DARGUNO-NEO-CALDENSIS SENIORIS
GRAVISSIMI,

CUI
SUMMO IN LUCTU VERSANTES
FILII,

IN UTRAQVE HAC REPUBLICA MUNERIBUS
PUBLICIS ORNATI

D. XIV. OCTOBR. A. MDCCXXXV.
ULTIMUM, SED ADMODUM FLEBILE

FUNERIS OBSEQVIUM
PRÆSTABUNT,

CIVIBUS ACADEMICIS,
OMNIBUSQVE BONIS,

PUBLICO HOC PROGRAMMATE
DECENTI STUDIO ET HUMANITATE
COMMENDAT



ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

h. RECTOR

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING,
PHIL. & MED. DOCT. HUIUSQVE PROF. DUCAL. PUBL. ORD.

ROSTOCHII,

Typis JOH. JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.



FX quo in obeundis officii mei
 Rectoralis partibus versor, *Cives optimi*,
 frequens quidem oblata mihi fuit occasio, scri-
 ptione quædam Vobiscum communicandi; nun-
 quam vero tristem pallidæ mortis nuncium ad
 aures Vestras attuli, nunquam ad solemnia ju-
 storum cuiquam persolvenda Vos invitavi, nun-
 quam illætabili functus sum parentandi officio. Gratulabar hoc no-
 mine Academia Varniacæ, gratulabar Urbi patriæ, gratulabar officio
 meo Rectorali, quod sine lugubri ad exsequias invitatione depositum
 iri lætus augurabar. Verum enim vero, quam fallax hominum spes!
 quam incerta gaudia! in ipso portu navis frangitur, & Rectoratus mei
 finis, quem jucundum sperabam, plenus est luctus & lacrymarum.
 Amisimus enim in terra nostra Megapolitana Virum de Ecclesia Evan-
 gelico-Lutherana, & cœtu, cui præfuit, immortaliter promeritum, *Vi-
 rum plurimum Reverendum, Religiosissimum atque Doctissimum DN. CASPA-
 RUM MANTZELIUM, Pastorem Ecclesiæ, quæ in Parochia Jordensdorf-
 fensi Christo colligitur, longe vigilantissimum, & Synodi Darguno-Neo-Calden-
 sis Senioremaxime venerabilem, Cujus nomen, memoriam atque lau-
 des, ut posteritati commendemus, æquitas suadet, postulat, flagitat.*
 Injustum

Injustum etenim atque impium omnino esset, ejus merita oblivione sepelire, cujus omnes curæ atque vigilæ in incrementum optimarum artium, in emolumentum purioris doctrinæ, & in salutem gregis concrediti nunquam non fuerunt susceptæ. Vix crediderim, in tota hac civitate quenquam esse, ad quem non pervenerit sensus doloris tam pii, tam egregii, tamque præstantis eruditione Viri, quemque non adficiat desiderium tam cari Senis, & Theologi *γρηγοριος* Lutherani. Et prouti alias memoria justis est in benedictione, ita hujus Nostri memoria semper nobis grata debet esse atque jucunda. Duo vero sunt, quæ in hoc eminentis exempli Viro, MANTZELIO nostro, in primis eminent, purior nempe doctrina, & studium pietatis veræ, DEOque placentis. Et quam exiguus hodie eorum est numerus, qui cum pura & incorrupta doctrina vitæ integritatem sanctimoniamque haud fucatam conjungunt, econtrario largam eorum messem metere licet, qui cœtum Christianorum falsa erroneaque Doctrina turbant, & pessima vivendi ratione offendunt. Proh DEum immortalem! quanta turbinum vis, quot horribiles procellæ navim Ecclesiæ jam agitant. Quot homines falsarum opinionum fluctibus involvuntur, & in brevia errorum præcipites abripiuntur. DEO quidem gubernatore & rectore à naufragio nullum Ecclesiæ est periculum, metuendum tamen, ne multa millia hominum fraude Diaboli fascinatorum scopulis errorum ita adlidantur, ut nec ipsi enarare, nec alieno auxilio emergere queant. Sunt, proh dolor! nostro ævo multi è doctorum numero, qui in vestitu ovium incedentes, intrinsecus existunt lupi rapaces, Matth. VII v. 15. Sunt, qui habent speciem pietatis, vim vero ejus abnegant 2. Tim. III. v. 5. Sunt, qui fastu quodam pharisaico inflati cœteros adspernantur, & in se confidunt, quod sint justis, quorum imaginem dulcissimus Salvator veluti in tabula depictam exhibet Luc. XVIII. v. 9. sq. Sunt, qui sub prætextu promovendæ pietatis varia falsa, præpostera & pestifera dogmata gignunt, spargunt atque disseminant; Sunt, qui omnem verbi Divini atque Sacramentorum efficaciam à qualitate Ministrorum Ecclesiæ suspendunt; Sunt, qui merito Christi derogant, & operibus suis nimium tribuunt; Sunt, qui Sanctitatem suam ultra humanæ fragilitatis terminos jactant, prædicant, extollunt. Et tantum abest, ut istiusmodi errantes in rectam viam se reduci patiantur, ut potius se solos sapere, reliquos vero veluti umbras volitare, & cœcorum instar nihil videre existiment. Quæ, cum ita sint, eo majori luctu, eo largioribus lacrumis, eo acerbioribus lamentationibus funera Theologorum veræ pietatis, & piæ veritatis prosequimur, quo turbulentior est Reipublicæ Christianæ status. Sortem quidem ipsorum doctorum, qui ex hac misera rerum humanarum caligine ad sempiternam lucis cœlestis fruitionem migrarunt, non lugemus, sed illos potius congratulationibus prosequendos esse arbitramur. Nostre vero conditioni illacrumandum esse censemus, qui confessores veritatis, defensores orthodoxiæ, & oppugnatores hæresium atque errorum amissimus. Unum tamen est, quod doctoribus istiusmodi etiam post fata debemus, ut nempe in ipsorum merita intenti simus, piisque Manibus nos gratos atque devotos perpetuo exhibeamus. Monumentum igitur MANTZELIANUM perpetui æstimmii erigamus,

& vitam Ejus exponentes, non meritis & laudibus, sed officio nostro, minimum aliqua ex parte, fatis faciamus. Sed in hoc negotio otia nobis jam fecit incitatissima pietas Filiorum, tam natu majoris, *Viri Consultissimi & Excellentissimi, Domini ERNESTI JOANNIS FRIDERICE MANTZELII, Philosophiae & J. U. Doctoris, & Antecessoris in hac Alma famigeratissimi, Fautoris & Collegæ nostri æstimatissimi*; quam natu minoris, *Viri Consultissimi & Doctissimi, Domini CHRISTIANI ANTONII MANTZELII, J. U. iudem Doctoris fulgidissimi, & Senatoris Civitatis Rostochiensis Prudentissimi, Fautoris & Amici nostri certissimi*, quorum integra verba ad nos transmissa adjiciemus, sunt vero, quæ modestia Celebratissimis Duumviris propria, & reverentia filialis ad conservandam optimi Parentis memoriam expressit, sequentis tenoris:

Illos qui ad tristia ministeria, calamis exhibenda, se accingunt, sæpe illud Neronis: *Quam vellem me nescire literas*, adhibuisse, nobis constat, ex monumentis funebribus præsertim, passim observatis. Sed pace illorum ingeniorum, nobis displicet hæc exclamatio & dum Vita B. PARENTIS Programmati publico inferenda, est consignanda, gratulamur nobis, quod sciamus literas, quibus debitum officium præstare possumus; Imo vellemus nos scire literas ad summam elegantiam usque, quo tanta tanti nostri Patris in nos merita deprædicare possemus. Verum ter cecidere manus, donec illam capessivimus mentem, quod nullam hæctenus gloriosiore scribendi occasionem habuerimus, quam præsentem, ubi B. Parenti, curriculi vitæ expositione, parentandum est.

Scribimus ergo & augemus numerum illorum filiorum, qui Patrum vitas descripserunt.

B. NOSTER PARENS DN. CASPARUS MANTZEL, natus est heic Rostochii, in hac illa urbe, quæ nos multis ornavit beneficiis, & cui DEUS omnipotens benedicat, Anno Salutis MDCLXVI. die 27. Januarii Patre B. DN. JOACHIMO MANTZEL, Senatore Reip. Rostochiensis meritissimo & Matre B. ILSABE SCHNOCEN, quorum memoria fit in Benedictione.

Quia autem & Avi Proavique merito conservantur, constat ex Programme Rectorali quod Anno 1668. dicto B. Senatori posuit B. Antecessor RADOVIUS, quod B. Parentis nostri Avus paternus fuerit B. JOACHIMUS MANTZEL, Pastor Warnemundensis, peste extinctus, ceu testatur tabula in templo ejusdem loci in parte Altaris postica conspicua; qui uxorem habuit B. Senatoris matrem, MARGARETHAM RECKENTROGES, filiam B. JACOBI RECKENTROGES, Mercatoris honestissimi. Constat porro, quod hic Pastor Warnemundensis Rigenfis fuerit, prognatus ibidem Patre B. JOACHIMO MANTZEL, Mercatore ibidem primario, cujus uxor erat nobilis fœmina MARGARETHA GUNTZSCHOWEN, filia B. CASPARI GUNTZSCHOWEN, Præfeti in Bauschke & Cancellarii Principis Curlandiæ & Semgalliæ.

Ulterius ascendere non licuit, & quamvis inter tradita venerit, quod hujus Rigenfis Pater fuerit Pastor Liepensis prope Pentzlinum in hac Provincia, cujus filius alter, JOHANNES, in officio Pastoratus Liepensis successit; Tamen non potuimus hæctenus distincta indagare;

gare; Sufficiunt etiam hæc nomina, nam ab honestis Parentibus & majoribus descendere, satis est, si propria vita non est inhonesta; Si autem propriæ virtutes deficerent, ridiculum esset, in gloriæ & prærogativæ argumentum allegasse atque probasse, quod inter majores fuerit Carolus Magnus.

Cæca etiam fata & fors nascendi fortuito ex parentibus virtutibus inclutis neminem possunt reddere æstimabilem. Ergo de Mantzeliano nomine nihil differemus, nam si idem placeret, memorare possemus *Georgium Mantzelium*, Fratris *Joachimi Rigensis*, *Caspari Concionatoris aulici Curlandensis* & *Pastoris Grentzhofensis*, filium, fratremque *Friderici*, *Pastoris Doblensis in Curlandia*; Primum Pastorem *Walhofensem* postea *Seelburgensem in Curlandia*, postea S. S. Theologiæ *Licentiatum*, & in *Academia Dorpatensi Theologiæ Professore*, ad *Div. Joh. Past. Primarium*, *Synodi Præpos.*, & *Proto-Consistorii Assessorem* atque tandem *Seniss. Ducis Curlandiæ Concionatorem Aulicum*, Virum, tot scriptis Academicis, *Versione S. Scripturæ in linguam Letticam*, & quæ sunt alia, celebratissimum; Cujus filius ex *Anna von Blomen* procreatus, *Ernestus*, post visas Academiæ Germaniæ, præsertim *Giessensem*, redux factus, & electus *Pastor Satensis in Curlandia* obiit, & una cum Patre humatus Anno 1654. ceu testantur conciones funebres.

Possemus multis memorare nomen *B. Patruï Dni M. Johannis Mantzelii*, *Professoris in hac Alma*, postea *Rectoris Gymnasii Gustroviensis*, & tandem *Pastoris atque Præpositi Neo-Caldensis*, qui Vir innumeros eruditionis testes habet, quique post se reliquit par filiorum optimorum puta *Dn. Joachimum Manzelin*, *Pastorem Panckovio-Siggelkoviensem in hac Provincia merentissimum*, & *Dn. M. Johannem Christophorum Manzelin*, *Pastorem successive Otterndorffensem, Hosterwizensem & nunc Mutschensem in Misnia*, Virum multis eruditionis speciminibus, & inter alia, opera & studio in illustrem laborem *der unschuldigen Nachrichten*, satis celebrem; Quibus cum Progenie DEUS largiter benedicat. Possemus haud incelebrem Virum *B. M. Joachimum Manzelin*, *Con-Rectorem Parchimensem* multis scriptis inclarescentem memorare. Sed sufficiant hæc de Stirpe paterna. Qua maternam, *Schroderorum Gens* heic loci est optime nota, & collaterales beatæ nostræ Aviæ, filiæ *Mercatoris* incluti *B. HANS SCHROEDERS*, floret in hunc diem in memoria *B. Francisci Senatoris* ejusque Filio, *Viro Amplissimo atque prudentissimo Dn. Claus Schrödern*, *Domino in Nienhagen & Siemen*, curiam patriam egregie ornante; faxit DEUS ut floreat hæc familia per omnia tempora si quæ supersunt futura. Et cui inter nos ignotus est *Vir Maxime Reverendus atque religiosissimus Dn. Mag. Dietericus Schröder*, apud *Wismarienses Verbi Divini Mysta meritissimus atque venerabilis*, cujus merita in historiam Patriæ, ecclesiasticam præsertim, indies augentur, cuique seram senectutem largiatur divina benedictio.

Hæc prima solet esse Pars recensitionis vitarum, scilicet enarrans Patres & proavos, & continens quæ non fecimus ipsi, quæque vix nostra esse putamus. Secunda pars est merito eorum quæ vitæ verum exhibent curriculum. Inter ea prima est, cura Parentum expedita initiatio per sacrum baptisma, quam excipit institutio, qualem in pietate & moribus patiuntur & exigunt anni infantiles atque pueriles.

B

riles.

files. Nihil horum in nostro *B. Parente* neglectum fuisse, credimus, significasse vitam sequentem; Et quamvis ipsi adhuc in ephebis ambulanti *B. Pater* morte abriperetur, tamen *B. Mater*, utut infelici incendio Rostochiensis maxima parte bonorum ceu vidua & mater tot orphanorum exueretur, DEO clementer benedicente, nihil neglexit, quod ad institutionem hujus filii ultimogeniti faceret.

Sublevavit eandem Fratris maximi natu supra laudati *B. Professoris Johannis* ad ultima usque laudata cura; Is enim hunc nostrum *B. Patrem* non solum heic fidelissime in humanioribus instruxit, sed etiam, cum Gustavo ad Rectoratum Gymnasii vocaretur, eundem illorsum, instar filii, secum duxit, tantosque progressus ipsi paravit, ut Anno 1687. ad Patriam Academiam retrocedere, & ductu celebratissimorum tunc temporis Theologorum & Philosophorum multos sibi acquirere posset profectus.

Laudare solebat præ omnibus *Consummatissimum Theologum B. Schomerum* & *elegantem Philosophum B. Seligmannum*; Multa etiam gratus referebat de *M. Calovio, Borusso*, cujus sub Præsidio etiam Anno 1689. defendit Dissertationem publicam sub titulo: *Tavmatanthropologia*; Ita per annos feliciter tractatis studiis in hac Academia, opportuna se esse obtulit occasio, ut cum *B. Senatoris Regiomontani Poppingii* filio permutacionem institueret, ita ut ille huc in Convictum *B. Matris*; *Noster* autem illuc ad domum Poppingianam migraret, ubi filii instar fuit habitus, id quod sexcenties deprædicavit. Substitit ibidem per annos & audiit viros doctissimos, inter quos semper recoluit *B. von SANDEN* & *B. GOLDBACHIUM*; Rediit in Patriam, & quia molestus matri esse nolebat, Institutionem filiorum *B. Pastoris Rhenensis Ludersen* suscepit, & eandem tam diu inter labores, etiam Ecclesiasticos (Concio enim pirastica *Jordensdorffensis* trecentesima sexagesima quinta erat) continuavit, donec Anno 1698. legitime vocaretur ad officium *Pastoratus in Ecclesia Jordensdorffensi in Synodo Darguno-Neocaldensi*. Introducebatur Dom. 15. post Trinitatis per Venerabilem *B. FECHTIUM*, quem nunquam sine Elogio nominavit, qua dominica ultimam etiam nuper ad Ecclesiam habuit Concionem, & quidem tanto affectu, & inter insolitas ipsi alias lacrymas, ut omnes Auditores, diebus ante obitum proximis, nobis significaverint, quod inde aliquod præsagium sumserint.

Quo ardore, quaque circumspectione inde suam spartam ornauerit, dicant alii, nobis sufficit quod ubique inter cordatos DEI ministros numerari solebat. Venerabantur eundem concrediti Parochiani, Nobiles & ignobiles: Amabant eundem Vicini, inter quos ingravescente ætate adeo venerabilis erat, ut nemo non ipsum Patrem suum appellaret, consiliisque uteretur. Ne scribamus, quod ad *Serenissimas Aulas* multis vicibus vocatus sit ad habendas orationes ecclesiasticas.

Quantam sibi Pietatis, Modestiae & Orthodoxiae laudem conciliaverit, sciunt illi qui audiverunt de Sermone Suggestus encæniali, quem hoc anno Dom. 8. p. Trin. ad ecclesiam habuit; Sciunt illi, quibus infensus ob veritatem & Zelum non fuit; Et quia, (quod dixisse ægré ferat qui velit) haud vulgariter doctus erat, sensumque doctrinarum theolo-

theologicarum ultra communem sortem habebat, datis occasio-
nibus talem se præstitit, ut ad ardua in Theologicis adhiberetur expe-
diunda.

Testantur Studia Collectiones Librorum selectissimorum ex
quibus quilibet futuro Possessori per Annotationes monstrabit, quod
non ornatus gratia suam Suppellectilem secum habuerit: Vah! quantæ
Excerpta præsertim exegetica, quia utriusque fontis admodum peri-
tus erat, sibi fecit; Veniat ad nos, qui specimina diligentis scrutationis
scripturæ sacræ videre cupit, dabimus illa inspicienda, quæ ad seros po-
steros sancte nobis asservabimus. Inter alios labores opus etiam appa-
ravit magnæ molis, sub titulo: *Prosopologia Biblica*; Est illud opus du-
dum ita comparatum, ut prelo subjici posset; sed noluit ut prodiret;
Dicavit illud ut Manuscriptum Bibliothecæ Academicæ in hac Alma
paucos ante menses, cui & nos idem fideliter trademus.

Scripta insuper varia equidem, pro sustentando studio disposuit,
nulla tamen publicavit, præter *Conciones nonnullas funebres & Inscriptio-
nes artificiaque Oratorio-Poetica*, occasionibus illustrioribus dicata.

Quid nostra pietas ex hisce aliquando ex schedis sit publicatu-
ra, videbimus: Invenimus inter alia fasciculum Parentationum, si
ita nobis judicare licet, heroice conceptarum, (erat enim circum cir-
ca Parentator fere ordinarius) sed veremur, ne nobis in malam acci-
piatur partem si amplioribus uteremur. Dicant alii, quibus non in
more est rodere, qualem eundem experti sint.

Non distrahi se passus est illis quæ ab officiis avocant, non
spaciosa suscepit itinera, non circum circa circiter vagatus fuit, præ-
terquam ad viciniore, quorum familiaritate utebatur, recreationis
instar lubenter: Non facile à sua ecclesia abfuit vel alii cathedram
suam concredidit, & ægre, utut pro officiositate, libenter idem su-
sciperit, ad vicinas vacantes ecclesias sese contulit; Id quod tamen
per decennium & quod excurrit, urgente ita necessitate sæpius fa-
cere debuit. Et quia œconomicis negotiis innutritus non erat, vide-
batque à divina Providentia sibi talem datam esse Uxorem, quæ illis
rebus strenue & sola superesse poterat, non nisi propter voluptatem
& animi recreationem spectator nonnullorum actuum esse solebat.
Magis videbatur ipsi placere ædificiorum publicorum cultura; vi-
deat, qui luscus non est, qualem suo tempore faciem Templum ædes-
que parochiales cum suis pertinentiis acceperint; ut taceam ea, quæ
tanto tempore, vetustate iterum consumpta sunt.

Verum, scribendum erit etiam de domesticis aliis; Duxit
igitur anno 1698. Mense Octobri Uxorem, nunc afflictissimam Vidu-
am, matrem nostram pariter incomparabilem, cui DEUS solatio sancto
adfit, MARIAM DOROTHEAM ROSENOVIAM, B. DN. ANDREÆ
ROSENOVII, *Pastoris Jordensdorffensis*, ultra semiseculum, filiam, &
beati antecessoris in officio DN. JOACHIMI WILKEN, viduam; Vi-
xit cum illa, ceu jam laudatum, ita, ut ille fideliter suo officio, illa
autem rei œconomicæ exemplariter superesset, atque sic ex utraque
parte, quæ in paganis parochiis obvenit observanda, res feliciter fuit
acta.

Nati sumus nos illis Filii Ego D. Ernest. Job. Frid. Mantzel, Rostochiensis Professor, & Ego D. Christian. Antonius Mantzel, Senator Rostochiensis. Nos illi filii, qui Patrem habuimus, & nunc eheu! amissimus, quo meliorem nemo habuit, qui unquam vixit. Vah enim quanta hæc nobis est felicitas, quamque rarum exemplum, quod usque ad annos ætatis XVI. nullos habuerimus alios Præceptores quam hunc nostrum incomparabilem Patrem. O dulces horas atque dies, quos inter ipsius doctrinas consumpsimus! O illustre exemplar imitationis omnium Præceptorum! Ita enim nos instruxit, ita nos rexit, ut nesciremus, DEum testamur! Nos unquam, vel umbra alapæ esse territos.

Dimisit nos, me seniore, ad Gymnasium Güstroviense, meque juniorem ad Academiam Rostochiensem; Nec tamen ita dimisit ut nos dereliquisse videretur; Sed res ipsa loquitur, quantis sumtibus nos & hic, & in Academiis aliis, sustentaverit: O dulce commercium literarium, quod nos ad extrema usque intercessit: Faxit DEus, ut illa Consilia nobis semper sint sancta, ut illa vota, ut illæ benedictiones, quibus nos cumulavit, robore & effectu nunquam destituantur.

DEO sit æterna laus, quod viderit, quorsum nos divina Providentia duxerit, vidit enim nos officiis publicis jam memoratis ornatos; Vidit nos uxoratos, & me quidem seniore, ducentem *Justinam Margaretham B. Steveri, Consulis Rostochiensis*, quem nominasse est laudasse, filiam; Et me juniorem, *Wendulam Elisabetham, Magni nostratis Theologi Engelkenii*, quem DEus in Ecclesiæ puræ solatium ad senam canitiem usque sospitet, filiam; Vidit meam, Senioris, prolem utriusque sexus, *Casparum Christianum: Johannem Henricum*, quos ultra annos ipse fideliter instruxit, & *Mariam Justinam Margaretham*: Vidit etiam oculo mentis propensissimo meam, Junioris, filiolum, ante aliquot menses natam, *Catharinam Mariam*, quam vere, propter tenellam ætatem, & Morbum pedibus infestum, videre hætenus non licebat.

DEO sit æterna laus, quod omnia benedictionis genera in hunc nostrum parentem concumulaverit: Vixit in ministerio Divino: Vidit filios & filiam, *Elisabetham*, nempe *Evam Mariam*, quæ tamen anno 1716. in flore ætatis beate obiit: Vidit, Nepotes: Vixit donec merito senex appellari posset: Sit nomen Domini benedictum: Vixit etiam vegetus & nullis adeo, præter pedis dextri perpetuum malum, pressus morbis; Nam quæ ante viginti & ultra annos ipsum, desperate ferè, decumbere jubebant, feliciter repellebantur, & malum quod aliquando ex delapsis falcibus messorii incutiebatur, ita fuit aversum, ut non nisi vulnera perpetuas circatrices post se relinquenda, manui inde infligerentur.

Sic vixit. Sed quomodo mortuus est? Vah! quam tranquille decubuit, quam placide obdormivit. Ipsa senectus, marasmo suo, morbus erat: Nam utut Septuagenariis majores adhuc vegeti dentur, tamen res est, in concreto, ut loquimur, consideranda: Vah enim quot labores hic septuagenarius exantlavit! Adeo ut mirum sit, eundem per ultimos annos, quibus non suis tantum, sed aliis etiam Ecclesiis inservire debuit, hiscere potuisse; Ipsa igitur senectus morbus erat: Nos enim ad ipsius lectum attoniti invitati, nullum alium observavimus morbum quam compositionem ad moriendum; Ita enim placidus

placidus semper quiescebat, prouti fere solebat sanus; Quoties autem a-
liquis alloquebatur eundem, id quod soepe fatis fiebat à nobis & ab Ho-
spitibus omnium ordinum, facie serena, & verbis, in quemlibet pro di-
gnitate, statu & conditione quadrantibus, semet explicabat, neminem-
que absque benedictione, brevi quidem, heroica tamen, dimittebat.

Sic sese componebat, & postquam Dom. 16. post. Trin. sacra
Synaxi usus, pioque colloquio cum Confessionario, *Viro admodum Re-
verendo atque doctissimo Dno Hanio Pastore Belitzense longe meritissimo, Fau-
tore & Cognato nostro estimatissimo*, qui & die Festi Michaelis eundem
pari animo, utut magis fractis viribus, uti ante invenit, sese confor-
tasset, magis magisque abutum parabat, & tandem inter singultus ad-
stantium & ejulatus Parochianorum, qui die Michaelis largiter jam
in antecessum flebant, utut putarent, *Sie wollten es, weil die ganze
Gemeinde zu diesen Sterb- Fall etwas zu sagen hätte*, (ita cœtum, ita
hunc & alium dixisse accipiebamus) *mit unserm HErrn Gott am S. Mi-
chaelis Tage ausmachen, daß er noch nicht sterben sollte, die 30 Septemb.
hora septima matutina*, placide & absque omni motu inordinato ob-
dormiscebat, integram ita mentem exserens, ut in momento ultimo,
cum ego senior filius, inter preces & lacrymas pientissimæ Matris &
Fratris, ipsi, quæ virtus divina suppeditabat, acclamarem, interque
alia dicerem: *HErr nun lässestu deinen Diener im Frieden fahren*, voce
satis sensibili ultima verba *im Friede fahren*, ipse pronunciaret. Mul-
ta nos de placide obdormiscentibus legimus & audivimus, & nunc, quia
lectis aliorum moribundorum non adeo proximi fuimus, exemplo e-
docti sumus, quid sit placide obdormiscere; DEUS clementissimus om-
nibus piis talem vitæ clausulam largiatur.

DEUS omnibus liberis eam concedat gratiam ut Patres ita mo-
rientes videant & tales benedictiones accipiant; Soepe enim nos he-
roice adspexit & allocutus est, interque alia plus simplici vice dixit:
*Gott gesegne Euch in Zeit und Ewigkeit: Der HErr gesegne Euch je
n ehr und mehr, Euch und Eure Kinder.*

Ita vixit, ita mortuus est, **NOSTER VENERABILIS PATER**,
cujus memoriam nullus nobis obliterabit annus.

Ita mortuus est, ita, ut nulla in hac vita superesset medela;
Nam utut medicamenta, nobis adventantibus jamjam Malchino essent
petita; Quamvis nos Rostochiensia nobiscum asportaremus, tamen
omnis spes decollabat, certo testimonio, quod immortalitatem nihil
procurare queat; Et quamvis videatur, Septuagenarium adhuc in-
plures annos salvasse, non fuisse adversus ordinem naturæ, tamen su-
pra jam scripsimus, quod centenarius, laborum molem & numerum
siquis consideret, noster B. Pater mortuus sit.

His scriptis calamum, non vero memoriam deponimus. Vale
Pater! ah Pater vale!

En Cives Optimi! ultimum & illætabile pietatis officium, quod
Celeberrimi Flii Optimo Parenti præstant, vitam Ejus exponentes.
Quemadmodum autem sunt certissima & omni exceptione majora,
quæ hic consignata leguntur, ita Ipsorum modestia, laudes & merita
dignissimi Parentis parcius exsequi videtur, ne lividam Momi linguam
experiri sit necesse. Magnus profecto dicendi campus hic aperiretur,
C

si di-

si disertus accederet laudator, & MANTZELII Nostri imaginem, ceu Phidiæ quoddam signum, consecraret æternitati. Cum vero B. MANTZELII merita laudes nostras supergrediantur, in nuda eorundem recensione jamdum facta, acquiescimus. Nobis tamen licebit ea, quæ modestia Filiorum strictim adduxit, paullo copiosius exponere; alia vero, quæ ab Illis plane prætermissa sunt, ne propriarum laudum ebuccinatores existerent, nudo orationis genere, quale veritatis proprium existimari solet, commemorare, eorumque, quibus Noster præ aliis eminuit, aliquam injicere mentionem. Non dicam de Ipsius eruditione, quam in omnibus Theologiæ partibus sibi acquisiverat, exquisitissima. Non allegabo orthodoxiæ studium, quod ipsius quasi visceribus, & intimis animi recessibus fuit infixum. Prætermitto linguarum originalium notitiam, quæ tanta tamque excellens in Eo fuit, ut cum præstantissimis Philologis de principatu contendere potuerit. Silentio tamen præterire nequeo eloquentiam Ipsius latinam pariter atque germanicam. Insignis plane in Ipso erat oris atque orationis commendatio, & dicendi facultatem ita imbiberat, ut quocunque de argumento verba facere ingressus esset, melle dulcior ex ore Ipsius flueret oratio. Nihil hic dicam de orationibus sacris vel è suggestu, vel alia occasione habitis. Quamvis enim in illis etiam pulcritudo nativa & lucidus ordo ubique eluceret, formatæ tamen potissimum erant ad formam prædicationis Paulinæ, quæ non fuit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus & virtutis, 1. Cor. II. v. 14. Illos autem citabo testes, qui Nostrium laudibus defunctorum parentantem, non sine admiratione audiverunt, vel scripta quædam Illius debita attentione legerunt. Sive enim spectes verborum nitorem, & elegantiam, nihil illo ornatus, sive rerum ac sententiarum pondera, nihil illo gravius, sive structuram & collocationem, nihil illo concinnius fingi aut excogitari potuit. Ad ea sigillatim quod attinet, quæ B. Noster lingua latina consignavit, ubique purum, festivum ac vividum, ad argumenti tamen rationem accommodatum dicendi genus reperiemus. In orationibus atque epistolis Ciceroni erat simillimus, in modulationibus vero poetiis ad Maronis venustatem, Ovidii perspicuitatem & Flacci acumen quam proxime accedebat. Gratum erit orbi erudito, si præstantissimi illi excellentis ingenii partus, qui vel sparsim editi sunt, vel adhuc non prodierunt, lucem aliquando visari sint publicam. Gratulamur interim Bibliothecæ Academicæ, egregium illud opus MSC., quod ex Auctoris ipsius, & Heredum liberali donatione quamprimum accipiet, & ceu luculentum aliquod MANTZELIANÆ industriæ ac eruditionis documentum ad seros usque posteros adservabit. Sed eloquentiam plane egregiam & stilum comptum MANTZELII Nostri dum commendamus, non possumus non commemorare, dignissimos optimo Patre Filios, etiam quoad hanc scientiæ partem maximum ex eruditione Patris emolumentum cepisse. Facem enim ad litteras, quæ humaniores vocantur, Illis prætulit, idque tam felici præstitit successu, ut vel ex hoc capite, quantum indulgentissimo & favore volo Patri debeant, devota mente agnoscant & grato ore prædicent. Quos vero MANTZELIUS Noster domi faustis sub penetralibus nutriverat, & præceptis saluber-

rimis

rimis compleverat filios, eos etiam pulcherrimo quodam prodigalitatibus genere non sine magnis sumptibus peregre alebat. Egregia enim Filiorum indole & præclaro ad virtutem impetu fretus, spem animo præcipiebat jucundissimam certissimamque, eos tandem aliquando tales futuros, quales omnibus jam cognoscuntur, hoc est, viros omni virtutis & eruditionis laude, summaque meritorum gloria multo ornatissimos. Hinc in Gymnasio celebri Gustavoviensi natu majorem, utrumque vero in florentissimis Germaniæ Academiis à doctoribus in omni scientiarum genere præstantissimis & didacticæ rei peritissimis formari & doctrinæ opibus locupletari omni circumspeditione curavit, nullisque sumptibus ad istum finem obtinendum requisitis, unquam pepercit. Et o beatum Patrem talibus Filiis! o beatos Filios tali Patre! Patris quidem cura, vigiliæ atque labores eo pertinuerunt, ut Filii artibus atque scientiis imbuerentur, expolirentur, locupletarentur, quo aliquando summi NUMINIS gloriam amplificare, aliorum commodis inservire, propriamque utilitatem promovere possent. Et tantum abfuit, ut Filii, ad summa omnia nati, in se quidquam desiderari passi sint, ut potius in exemplum aliis imitandum, partes suas abunde & maximo omnium honorum adplausu expleverint. Hinc fructus virtutum uberrimi, hinc præmia studiorum amplissima. Vidit enim SENEX Venerabilis *utrumque Filium*, gradu Academico ornatum, & officio honorifico gravissimoque auctum. Conspexit non sine insigni lætitia *Filium natu majorem* in hac Musarum sede spartam, Ipsius virtute & doctrina, multis vigiliis laboribusque parta, dignissimam, munus quippe Professoris, primum in Amplissimo Philosophorum ordine, deinceps vero in Illustri Jureconsultorum Facultate nactum. Cognovit Eundem demandatum officium præclare ornantem, juvenum ingenia suaviter perpolientem, novos eruditionis thesauros quotidie exponentem, scriptis edecumatis indies magis inclarescentem, de Academia, Republica, & orbe litterato immortaliter merentem. Licuit etiam Seni Venerabili esse tam beato, ut *Filium natu minorem* in Amplissimum hujus urbis Senatuum cooptatum, & inter Patres civitatis Conscriptos locum tenentem, inque judiciis modo Assessoris, modo Præsidis officio dextre fungentem. Sed adsunt etiam mala felicitatis genera, quibus provida DEI cura MANTZELIUM Nostrum beavit. Huc referri possunt firma corporis valetudo, extensum vitæ spatium, & plura, quæ brevitati jam studens silentio prætereo. Nunc dicenda essent, quæ ad Ejus est vita discessum pertinent. At enim vero quam placide, quam tranquille, quam confidenter animam DEO amatam, DEOque devotam cælo, unde acceperat, reddiderit, testantur in vitæ curriculo testes fide dignissimi, Filii laudatissimi, qui ultimi agonis spectatores fuerunt. Gratulamur itaque Tibi, desideratissime MANTZELI, qui certamen bonum certasti, cursum confecisti, fidem servasti. Reposita Tibi nunc in cælo est corona justitiæ. Triumphas jam inter Spiritus beatissimos lætitiæ ineffabili. Interes sedibus felicissimis, ad quas non nisi pie morientibus iter patet. O ter & quater beatos, qui ad exemplum Senis Nostrum in vestibulo se præparant, ut compta & ornata triclinium intrare possint! O mortem exoptatam, si quis, tanquam placido somno comprehensus, vitam deponit, & animam suam

Salvatori dulcissimo, ceu depositum pretiosum, reddit! O mutationem felicissimam eorum, qui post diuturnos turbulentæ vitæ hujus errores fausto fidere ad portum sempiternæ quietis adpellunt! Hæc felicitas nunquam interitura, cum omnes illos maneat, qui fide finali Christo, Salvatori suo, adhærent, quilibet vel me tacente, intelligit, beate defunctos, si ipsorum respicimus statum, neutiquam defunctos esse, aut gemitu prosequendos. Quoniam vero mors eorum non potest non acerbata esse, quorum vita nobis jucunda fuit, nemo nobis vitio vertet, quod jacturam nostrorum lacrumis prosequamur. Absit vero, ut ad morem eorum lugeamus, qui nullam spem vitæ melioris habent. Solatii medela proinde adhibenda est, & ex officina verbi Divini paranda sunt pharmaca efficacissima. Precamur hæc Familiæ MANTZELIANÆ splendidissimæ, nunc eheu afflictissimæ, & summum in cœlis NUMEN supplices veneramus, ut vulneri remedium, & dolori solatium adferat. Solatio adsit DEUS omnis consolationis, Matronæ, ætate venerabili, & virtutibus ornatissimæ, VIDUÆ ex Conjugis Optimi & Amantissimi obitu afflictissimæ, mœstissimæ, dolori Ipsius adferat allevamentum, causam Ipsius suscipiat atque defendat, senectutem Ipsius sustentet, vires labantes confirmet, & ut ex Filiorum suorum felicitate gaudium percipiat dulcissimum, efficiat, donec hujus vitæ spatium emensa inter cœlites triumphet & sempiterna beatitudine perfruatur. Solatio adsit FILIIS Celebratissimis, mortem Optimi Parentis acerbissime lugentibus, iisque, ut efficaciam benedictionis paternæ videant & experiantur, clementer concedat, hoc est, ipsorum felicitati addat incrementum & perpetuitatem. Solatio adsit reliquis, FAMILIÆ MANTZELIANÆ consanguinitatis aut adfinitatis vinculo junctis, & funesta quævis à tectis ipsorum depellat, è contrario autem omni felicitatis genere ipsos reddat cumulatos. Solatio denique adsit Ecclesiæ, quæ in Parochia Jördensdorffensi Christo colligitur, jam orbatæ & afflictæ. Amisit illa Pastorem meritissimum, amisit doctorem fidelissimum, amisit ducem certissimum. Hinc omnium oculi lacrumis madent, hinc undique lamentationes audiuntur, hinc omnia planctibus summorum, infimorum, senum, juvenum, virorum, mulierum circumsonant. Huic dolori qui solatium adferat, huic vulneri qui medeatur, præter DEUM, invenimus omnino neminem. Surgat itaque in auxilium gregis Sui, surgat, Dominus, & misereatur Zionis. Ipsius est defendere Ecclesiam suam, ne portæ inferorum illi prævaleant, Ipsius est arcere lupos graves gregi non parcituros, Ipsius est præficere Ecclesiæ suæ doctores, animarum curam sedulo habentes. Exaudiat itaque vota Ecclesiæ afflictæ, & Pseudo-Prophetarum insidiis machinationibusque graviter pressæ, ac succurrat propter unicum illum Pastorem & animarum nostrarum Episcopum, qui immarcescibilem gloriæ coronam, ceu donum gratuitum, vere credentibus, & officio suo fideliter fungentibus dabit. Nostrum autem erit B. MANTZELII memoriam servare nunquam intermorituram, & subinde memores esse


verborum Apostoli Ebr. XIII. v. 7. *Mementote Doctorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem DEI, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.*

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI,
D. XVII. OCTOBR. ANNO MDCCLXXXV.

✠ : (✠) : (✠)



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



LBMV Schwerin 33
000 184 241





carum ultra communem sortem habebat, datis occasione
se præstitit, ut ad ardua in Theologicis adhiberetur expe-

Testantur Studia Collectiones Librorum selectissimorum ex
quolibet futuro Possessori per Annotationes monstrabit, quod
tunc gratia suam Suppellectilem secum habuerit: Vah! quanta
præsertim exegetica, quia utriusque fontis admodum peri-
sibi fecit; Veniat ad nos, qui specimina diligentis scrutationis
sacræ videre cupit, dabimus illa inspicienda, quæ ad seros po-
tente nobis asservabimus. Inter alios labores opus etiam appa-
gnæ molis, sub titulo: *Prosopologia Biblica*; Est illud opus du-
comparatum, ut prelo subjici posset; sed noluit ut prodiret;
illud ut Manuscriptum Bibliothecæ Academicæ in hac Alma
ante menses, cui & nos idem fideliter trademus.

cripta insuper varia equidem, pro sustentando studio disposuit,
vit, præter *Conciones nonnullas funebres & Inscriptio-*
rio-Poetica, occasionibus illustrioribus dicata.

pietas ex hisce aliquando ex schedis sit publicatu-
nimus inter alia fasciculum Parentationum, si
cet, heroice conceptarum, (erat enim circum cir-
rdinarius) sed veremur, ne nobis in malam acci-
plioribus uteremur. Dicant alii, quibus non in
talem eundem experti sint.

si se passus est illis quæ ab officiis avocant, non
era, non circum circa circiter vagatus fuit, præ-
es, quorum familiaritate utebatur, recreationis
n facile à sua ecclesia abfuit vel alii cathedram
ægre, utut pro officiositate, libenter idem su-
vacantes ecclesias sese contulit; Id quod tamen
quod excurrit, urgente ita necessitate sæpius fa-
ia æconomicis negotiis innutritus non erat, vide-
videntia sibi talem datam esse Uxorem, quæ illis
supereffe poterat, non nisi propter voluptatem
em spectator nonnullorum actuum esse solebat.
si placere ædificiorum publicorum cultura; vi-
est, qualem suo tempore faciem Templum ædes-
suis pertinentiis acceperint; ut taceam ea, quæ
stare iterum consumpta sunt.

ibendum erit etiam de domesticis aliis; Duxit
ense Octobri Uxorem, nunc afflictissimam Vidu-
n pariter incomparabilem, cui DEUS solatio sancto
ROTHEAM ROSENOVIAM, B. DN. ANDREÆ
is *Jordensdorffensis*, ultra semiseculum, filiam, &
officio DN. JOACHIMI WILKEN, viduam; Vi-
m laudatum, ita, ut ille fideliter suo officio, illa
cæ exemplariter supereffet, atque sic ex utraque
is parochiis obvenit observanda, res feliciter fuit

B 2

Nati

